





Cr. G. num. 7.

1776, 5

5

X

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
IVRIS PVNIENDI  
FONTE

\*\*\*\*\*

QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV

PRAESIDE  
VIRO DOCTISSIMO

SAMVELE BENIAMINO SITCOVIO

PHILOSOPHIAE <sup>MASTR</sup> DOCTORE, REG. SOCIET. SCIENTIAR.  
FRANCOF. ADSESSORE

D. X<sup>o</sup> / IVLII MDCCCLXXVI.

H. L. Q. C.

PVBlicAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBMITTIT

IOANNES HENRICVS BVLCH

MARCHICVS.

P. 432,



TRAIECTI CIS VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.




*ll. Nettelbladt*



DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
IVRIS PAVLI  
FONTE

AMPLISSIMI IURISCONSULTI ORDINIS  
CONSENSU  
VIRI DOCTISSIMO  
SAMUELE BENJAMINO SITGOVIO  
MAGISTRO  
S. N. N. G. I. D. P. G. I. A. S. S. I. S. S. I. M. I.  
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I.  
I. U. R. I. S. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I.  
I. O. A. N. N. E. S. H. E. N. R. I. C. H. S. B. A. L. C. H.



FRATRI I. O. A. N. N. I. S. C. H. R. I. S. T. I. A. N. I. W. I. N. T. R. I.  
I. N. T. I. T. U. L. O. S. I. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.



ILLVSTRISSIMO  
EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO  
DOMINO  
CAROLO ABRAHAMO  
LIBERO BARONI

DE ZEDLITZ  
DYNASTAE IN CAPSDORFF ET MI-  
CHELWITZ

AVGVSTISSIMI PORVSSORVM REGIS IN CON-  
SILIO SANCTIORI IPSIVS REI PVBLICAE IVSTI-  
TIAEQVE REGVNDAE ADMI-  
NISTRO

RERVV ECCLESIASTICARVM OMNIVM SVMMO  
MODERATORI, CONSISTORII SVPREMI SVMMO  
PRAESIDI, OMNIVM QVAESTIONVM HABEN-  
DARVM SVMMO PRAETORI, TRIBVNALIS PRO-  
VOCATIONVM OMNIVM IN REBVS VECTIGA-  
LIVM SVMMO PRAESIDI, ACADEMIARVM REGI-  
ARVM CVRATORI SPLENDIDISSIMO, ET MV-  
SARVM IN HIS TERRIS TVTELARI ATQVE STA-  
TORI MVNIFICENTISSIMO

CET. CET.

A 2

DOMI-

DOMINO SVO LONGE INDVL-  
GENTISSIMO

PERICVLVM HOCCE ACADEMICVM  
INTER PIENTISSIMA VOTA

PRO

TANTI MAECENATIS  
INCOLVMITATE

AC

FELICITATE PERENNI

SVBMISSA MENTIS VENERATIONE

SACRVM ESSE IVBET

CVLTOR DEVOTISSIMVS

IOANNES HENRICVS BVLCH

MARCHICVS.

§. I.



§. I.

**G**raui, nisi egregie ipse fallor, ac pernicioso isti errore ducuntur, quibus, quae de hominum, extra societatem civilem consideratorum, iuribus & obligationibus instituitur tractatio, a studiis legum cultori necessariis aliena, atque adeo solis philosophis relinquenda videtur. Licet enim, postquam se imperio submiserunt homines, praecipua, iurium, quibus olim instructi erant, pars principi attributa sit, negari tamen nequit, quum ciuilia decreta ad vniuersae societatis felicitatem referenda sint, ex isto sine, hoc est, ex ipsa natura humana, omnia principis iura esse haurienda. Itaque, quid homo homini debeat, quibusue legibus, si nihil aliud praeter eius naturam spectes, teneatur, ii perspectum habere debent, quorum interest, iurium, quibus nunc principes vtuntur, nosse originem. Atque huius inuestigatio non facile cuiquam superuacanea videbitur, cui persuasum sit, eandem ad doctrinas de scopo, limitibus, vsuque iuris prudentia temperando, adiuuandas perficiendasque, plurimum conferre.

Quae quidem notitiae magnam habent vim in explicandis iis iuribus, quorum umbra in imperio subiectis, & quaedam imago relicta est. In his enim fieri solet, ut vel ignorantia, vel prava cupiditate impulsus, quidvis sibi licere, existiment, quod istius iuris nomine, cuius nunquam notionem animo informarunt, comprehendere vlla ratione possint. Quod si illud etiam consideremus, eiusmodi iuris exercitium cum turbulentis plerumque animi motibus esse coniunctum, non magnopere mirabimur, iusto latius extendere, qui tali iure vtuntur, eius notionem, finemque & modum transire. Iam, ad hoc genus, non dubium est, ius puniendi commode referri posse. De cuius origine, quaedam in hoc commentariorum referre, apud animum constitui. In quo argumento illustrando ita versabor, ut, quae a doctissimis viris in medium prolata sint, commemorem, & ad quam diffidentium sententiam accedendum sit, animo, qualis in homine esse potest, a praeconcepta opinione vacuo, disquiram.

## §. II.

In duas potissimum, qui iuris naturae praecepta tradunt, quum ad argumentum, in quo laboramus, perveniunt, discedere solent partes. Quidam cum HOBESIO ac PUFENDORFIO, non nisi ex imperio, ius puniendi deriuandum esse, confidenter pronunciant. Alii contra ea, GROTIUM sequentes, omnino hominibus, quamvis nullo imperio gaudeant, ius illud recte tribui posse, ut vincant, enituntur. Nescio equidem quomodo ius naturae explicantibus idem accidit, quod in physica saepe faciunt, qui rerum sensibus subiectarum causas persequuntur. Hi enim, veram causam vlllo se ingenio adsequi posse desperantes, praeclare secum actum putant, si ex vi quadam calorifica, quam dicunt, vel frigefaciente, vel aliis, non viribus, sed terminis, visa explicare valeant, naturae prae se ferentes interpretationem,

*Quam*



*Quam tu nec tenebras, nec possis dicere lucem.*

Eodem modo falluntur, si quid recte video, viri optimi, qui, dum puniendi ius principi attribuunt, genuinum huius iuris fontem se aperuisse opinantur. Ecquid enim planum magis perspicuumque fuerit, quam magnopere duo haec inter se differre: vtrum de subiecto sermo sit, cui ius competat, an de ea re, quae efficiat, vt iure quis recte vratur. Quod si enim, iuxta vt dicatur actio hominis aduersus alterum suscepta, praeter illud vinculum, quo iunctus cum altero est, nihil amplius requiratur; quod, quaeso, patris factum erga filium excogitari poterit, ab humanitate remotissimum, quin patriae potestatis nomine defendi possit? Quae quum ita sint, is demum iuris originem indagasse censendus est, qui, officiorum, quibus homo homini obstrictus est, ratione habita, quae in causis praecursantibus & comitantibus ad ius istud efficiendum sint momenta, diligenter perpenderit. Neque etiam hoc praetermittendum est, eos, qui ex dominatione ius puniendi deducunt, in eo dissentire, quid domini siue superioris nomine intelligendum sit; etenim alii eum tantum, qui in ciuitate principis personam sustinet, hoc iure donant, alii cuilibet superiori v. c. patri aduersus filium, domino erga seruum eam potestatem attributam volunt. Itaque rem aliquanto curatius expendamus.

§. III.

Fieri profecto non potuit, quin disiunctissimae de iuris puniendi fundamento existerent sententiae, quum voci, POENA, diuersas viri docti adiunxerint notiones. Ad varias locutiones, in quibus ista vox vsurpatur, animum vel leuiter attendenti non potest esse obscurum, poenae termino nihil aliud intelligi, quam mala, quae actiones morales legibus aduersas, quatenus sunt tales, consequuntur. Quam quidem definitio-

tio-

tionem perfectam esse & numeris suis absolutam, cui-  
bet, qui sensum communem adhibere velit, nullo nego-  
tio apparebit. Atque hinc iam intelligitur, quare istam,  
quam PVFENDORFIVS formavit, poenae definitio-  
nem, probare minime possim. Is enim poenam dicit\*)  
*malum aliquod molestum, quod per modum coactionis & pro  
imperio alicui intuitu antegressi delicti imponitur.* Vehe-  
menter hic, nisi totus longe opinione fallor, incorrupti  
ac intelligentes iudices desiderabunt rationem, cur im-  
perii in ista definitione mentio iniecta sit, quum, si res  
ad recte cogitandi regulas reuocetur, notae, de quarum  
veritate nondum inter omnes constat, non in definitione  
ponendae, sed ex eadem eliciendae sint. Sumta vero  
hac definitione, omnia, quae inde duxit, confectaria  
esse concedenda, nemo non videt. Nimirum inter poe-  
nas referri posse negat, *si quis per peccata sua valetudinem  
aut fortunas suas grauiter afflixerit, aut aliis sese homini-  
bus, abs quibus alias multa bona expectare poterat, iniusum  
reddiderit.* Quae opinio, quomodo rectiora edoctis  
probari possit, vix ac ne vix quidem capio; siquidem  
loquendi consuetudini aduersatur, & poenas naturales  
inter atque arbitrarías tollit discrimen, ab omnibus fere  
agnitum philosophis. Deinde, *non omne malum, inquit,  
quod ob antegressum peccatum inferitur, poena est; sed  
quod antea denunciatum, & post cognitionem delicti fuit im-  
positum.* Ad quam sententiam euertendam vel illud  
sufficit, quod in iure naturae praeceptum est, iustitiam  
ipsam nonnunquam postulare, vt alia prorsus poena,  
qui deliquerit, coercetur, quam quae delicto constituta  
sit. Neque a me impetrare possum, vt, denunciationem  
poenae necessariam esse, mihi persuadeam, quum & poe-  
nae ante legem poenalem constitutam sit locus, legum-  
que ciuiliu defectum, ratio seu lex naturalis suppleri  
possit. Tandem quod subiicit: *castigatio quae verbis fit,  
magis consilium & admonitio videtur, quam poena, ne re-  
clamante sensu & experientia dictum sit, valde vereor;*  
talis



talís enim castigatio maiorem saepe in delinquente excitat dolorem, quam verbera, aut huiusmodi alia. Sed mihi attingere magis haec propositum erat, quam data opera refellere.

\*) De Jure N. & G. L. VIII. Cap. III. Sibi consentientem PVFENDORFIVS habet HOBBIIVM in Leviathan. C. XXVIII. Ita enim ille: *neque iniuriae neque ultiones priuatorum hominum proprie vocari possunt poenae, quia non procedunt ab auctoritate ciuitatis.*

#### §. IV.

Non difficile erit, investigare iurium, quibus homo instructus est, fontes, si media perspecta habeamus, quorum vsu, quid in actionibus iustum sit nec ne, intelligi potest. Extra omnem dubitationem positum est, persuasionem istam de actionis iusticia non existere posse, nisi intelligentiae et rationis auxilio. Iam quomodo sit, vt de morali actionis bonitate rectum iudicium metur? — Ita natura comparatum est, vt in homine, quoad vitam agat, stimuli perpetuo se inuicem excipiant, neque vlla esset ratio, cur iis morem gerere dubitaret, si facultate his stimulis imperandi careret, & quamlibet cupiditatem explere iuste posset. Quum vero ad excitationis eiusmodi cupiditates, rationis vsus adiungitur, hos stimulos cum fine essentiali comparat, iudicatque quatenus huic fini conueniens sit, animum explere, nec ne. Quod si itaque homini persuasum sit, se ad finem quemdam obtinendum obligatum esse, neque eum obtineri posse, nisi adhibito certo medio, nexus ille, quo actio cum fine ipsa natura coniungitur, fontem eius iuris constituit. Iam, poena ipsa, vt finis, in quo homo subsistat, cogitari nullo modo potest. Igitur quae poenis effici possint, videndum est, vt inde intelligatur, qua ratione ad finem propositum obtinendum media idonea dici possint.

B

§. V.

## §. V.

Fines, qui hominum actionibus intendi debent, latius patere, quam ipsorum agentium perfectiones vel utilitates, nemo non, nisi qui humanam naturam omni moralitate carere putat, concedet. Adeo ut Stoici nihil praestantius & excellentius in homine viderent, quam eius ad universae humanae societatis felicitatem impulsum & confirmationem. Praeclare hinc Cicero \*) *hominer ait hominum causa esse generator, ut ipsi inter se, aliis alii prodesse possent.* Atqui nullus dubitauerit, poenas dummodo prudentia temperentur, maxime ad perficiendum hominem valere, atque saepe aliud quod hominem a malo abducatur medium reperiri vix posse. Non est, credo, necesse, ut de probanda hac veritate sollicitus sim, quum in philosophia morali iste, quem dixi, poenarum fructus ostendatur, atque etiam experientia quilibet edoctus esse possit, nullum esse efficaciae incuriae temeritatisque remedium. Video tamen, priusquam ab hoc loco abeam, monendum esse, multis tam superioribus, quam quod nos agimus seculo placuisse, praecipuum vel unicum poenarum finem in eo ponendum esse, ut legum auctoritas sancta feruetur, & laeso quam legislatori transgressor intulerit remoueat. Nequicquam a vero me aberrare existimo, asserens, grauem istum errorem, qui virorum doctissimorum curatis & solidis disquisitionibus penitus ex omnium animis euelli nondum potuit, \*\*) opinioni illi, quae iam supra a nobis notata est, scilicet imperium iuris puniendi fontem esse, debere originem. Inde nimirum factum est, ut in diiudicandis poenis non nisi leges & legislator spectarentur, illudque ex quo poenarum iustitia deriuanda est, nempe quid poenis

\*) Cicero de officiis libr. I. cap. 7.

\*\*) I. A. Eberhards neue Apologie des Sokrates, oder Untersuchung der Lehre von der Seligkeit der Heiden. 8. Berlin 1772.

poenis efficiatur, tantum non profus negligeretur. His praemissis, non est difficile illud reperire cui tanquam firmo fundamento ius puniendi innitatur. Est nimirum, si iam ex superioribus colligamus, nihil aliud, nisi ius producendi finem talem, qui sine punitione obtineri nulla ratione potest. Quum supra a nobis ius homines perficiendi hominibus singulis adiudicatum sit, illudque saepe exerceri nequeat, nisi puniendo, in confesso esse debet, ius illud in quo versamur omnibus hominibus recte attribui, nisi forte felicitatis publicae cura, vel conuentione, vel alio modo, certis personis vel vni solum demandata sit.

§. VI.

Quamquam argumentatio, qua ad confirmandam sententiam nostram vsi sumus, summa gaudeat perspicuitate, dubitari tamen potest, quid dico potest, dubitatum est, vtrum singulae, e quibus argumentum conficitur, rationes sua consent veritate. Ac primum quidem, non leue momentum in eo positum est, quale sit vinculum illud, quo homo ipsa natura homini iungitur. In quo negandum non est, multos in transuersum actos esse, nimisque abiecte de humana natura, atque adeo parum honorifice de ipso naturae Auctore cogitasse. Quis enim ignorat, e veteribus Carneadem affirmasse, omnes animantes ipsa ducente natura commoda sua defendere, & ideo iustitiam, si alienis vtilitatibus consulat, suas negligat, stultitiam esse dicendam. Neque nostra aetate defuerunt, qui hominis imaginem tam turpiter deformarent, vt ne lineam quidem ducerent, qua homo a brutis seiunctus, nobilius longe animal, agnosci possit. Inter quos IOANNES IACOBVS ROVSSEAV \*) facile principem tenet locum. Priusquam, ita enim ille sentit, in ciuitatem coirent homines, nullis, respectu ad reliqua sui generis animantia habito, confringebantur legibus, nullaque de re alia laborabant, quam de conferuanda vita,





restringendis libidinibus & propulsanda siue ferarum, siue hominum iniuria. Ex eo demum tempore, quo ciuile imperium constitutum est, illorum actiones, quae antea, non secus ac in animantibus brutis, a stimulis & impetu naturali procedebant, rationis & iustitiae praescriptis regebantur. Ex hac sententia, illud recte consequi, non est dubium, nullam inter homines iuris obligationisque communionem intercedere, omnes actionum quas suscipiunt fines, propria utilitate terminari, adeoque ius aliorum felicitatem promouendi a philosophis fictum, non in hominis natura positum esse. Neque hinc quis mirabitur, auctorem quem modo inducebamus, ipsum parentes inter & liberos arctissimum officiorum vinculum disrumpere.

\*) Des H. I. L. ROUSSEAU auserlesene Gedanken über verschiedene Gegenstände aus der Moral, der Politik, vnd den schönen Wissenschaften, aus dem Französischen überfetzt. 8. Danzig 1764. S. 182. & sequ.

### §. VII.

Qui hanc opinionem, cum ratione non minus quam hominum salute pugnantem, quadam veri specie defendere sibi sumunt, ad alterutram ex his, quas subiungam, sententiis confugiant, necesse est. Aut ante constitutas ciuiles societates, vim istam mala fecernendi a bonis, rationem dico, adeo debilem fuisse, vt iustitiae notionem nullam sibi formare, atque hinc, quantum homo reliquis belluis praestet, quantaque sit totius generis humani consociatio, perspicere non potuerit. Aut naturalem libertatem, quam tanquam praestantissimum munus homini a benefico parente attributam putant, ab iis tolli, qui quemuis hominem, omni studio in aliorum salutem incumbendi iure donatum esse, pronunciant. Quod primum attinet, quanquam in eo non refragatur contententi, institutis ciuilibus effectum esse, vt homines ratione melius vterentur, moribusque emendatiores fierent,

rent, attamen, homines ante eam coniunctionem ita ab omni humanitate alienos fuisse, vt instinctum, quo ad cetera sui generis animantia amplectenda, fouenda, grauioribus etiam medijs ad sanam mentem reuocanda, tanquam dulcissima naturae commendatione ducuntur, non sentiant, quis, quaeso, nisi omnis historiae ignarus, tam iniquus in genus humanum fuerit?

§. VIII.

Alterum erat, doctrinam nostram libertati naturali aduersari. Quid enim aliud est, clamant dissentientes, libertatem istam tollere, quam cuilibet homini dare potestatem, alienis negotijs se ingerendi, eaque curandi quae ad se non pertineant? Equidem vehementer dubito, an illi tam acres libertatis naturalis defensores vnquam vel notionem ipsam euoluerint, vel quantum boni mortalibus hoc munere donent, recta secum reputauerint via. Nam, si dicendum quod res est, non est talis libertas, qualem animo isti concipiunt, homini vere attributa, neque, si esset, beneficium naturae existimandum. Fieri profecto non potest, vt plures homines in telluris quodam tractu ita viuant, vt nullus ab alio vlla ex parte dependeat, siue educationem singulis necessariam spectes, siue quodcunque aliud negotium homini cum homine intercedens. Rationi si morem gerant, facile intelligent, vnus commodum ita cum alterius commodo nexum & colligatum esse, vt coniunctio, quam ipsa natura, non societas ciuilis, fecit, multorum officiorum mater recte appellanda sit. Atque de hac iurium obligationumque communione, quae inter homines, etiam in statu naturali viuentes, versatur, imparum cogitasse videntur, qui existimant, non nisi negatiuis, quae dicunt, officijs iuribusque homines quoad imperio ciuili non subiecti fuerunt, copulari. Quod si enim primaeva hominum coniunctio, quae status naturalis vocatur, socialis quodammodo fuit, atque Cicerone

auctore, ita nati sunt homines, vt inter omnes esset societas quaedam, & quilibet communem totius generis hominum conciliationem colere, tueri, seruare debeat, consequitur, non solum ad omittenda, quae alteri noceant, sed etiam ad suscipienda faciendaque, quibus alterius perfectio seruetur, augeaturue, hominem obligari. Itaque etiam positua, vt in iure naturae dicunt, officia hic locum habere, in liquido versatur.

\*) *Eleganter de hac re* WIELANDVS in Beyträgen zur geheimen Geschichte des menschlichen Verstandes vnd Herzens, *ait*: S. 228. „Die allgemeine Erfahrung ruft vns mit der vnwider-  
„sprechlichsten Evidenz, aus allen Enden der Erde zu, das  
„der Mensch zur Gefelligkeit gemacht sey — vnd das die  
„vereinigten Kräfte der Barbarey des Aberglaubens, vnd der  
„Vnterdrückung immer vnuermögend geblieben, diesen kost-  
„baren Saamen jeder gesellschaftlichen Tugend gänzlich zu  
„vertilgen. — Diese sympathetische Zuneigung, welche den  
„Menschen mit einer süßen Gewalt nöthiget, sich selbst in  
„andern Menschen zu lieben, vnd welche, wie Cicero gött-  
„lich spricht, die Grundlage alles Rechts ist.“

### §. IX.

Sunt porro, quibus causa, in qua propugnanda laboramus, non displicet eo casu, quum homo ab homine iniuria affectus est. Tum enim, aiunt, illud puniendi ius ex obligatione, qua quis sibi ipsi deuinctus est, originem trahit. Nimirum qui ab altero laesus est, quo minus laedentem poenis quibusdam afficiat, nihil prohibet, quum hoc modo de securitate futura sibi recte prospiciat. At iidem vix, credo, dubitabunt, laetus extendi posse iuris puniendi fundamentum, si hoc vnicum perpenderit, hominem vitii & prauis cupiditatibus inquinatum, quamuis nondum aliis inimicas attulerit manus, corruptum & inimicum habere animum, ideoque, quacunq; occasione data, alios laesurum. Quid igitur, si ex ipso, quod dissentientes ponunt, principio argu-



mentari liceat, impedit, quo minus etiam ab hoc sibi caueant homines, quod facere aliter nequeunt, quam emendanda eius voluntate, quo facto quasi praeueniendo efficiunt, ut ne publica felicitas detrimenti quid capiat. Recte proin Seneca \*) *qui se vtilem inquit ceteris efficit, commune agit negotium; quomodo qui se deteriore facit, non sibi tantummodo nocet, sed etiam omnibus iis, quibus melior factus prodesse potuisset.* Ecquis iam non videt, si ex officiis, quae sibi met ipsis debent homines, omne ius puniendi deriuandum sit, non solum ad damnum illatum, sed in vniuersum ad declinanda pericula respiciendum esse, quod vel ipsum eo facit, ut, ius puniendi moribus deprauatos cum cura salutis humanae, hoc est cum legibus, quas natura singulis hominibus indidit, arctissimo vinculo copulatum esse, consistendum sit. Non equidem sum nescius, multos existimare, ex tota hac argumentatione illud tantum confici posse; statum hominum naturalem periculorum & insidiarum plenum esse, his vero malis ob hominum aequalitatem medicinam alio modo parari non posse, quam civili imperio. Tuam vero, qui ita sentis, rationem testor, num cura ista hominum felicitati generis vniuersi poenis consulendi, contra ius fasque habenda sit, si de eligendo principe nondum cogitatum fuerit? Quanta inde oriantur mala! malitiosus quisque alios vexabit, impune occidet, atrocissima committet scelera, monstrum, non homo, erit, omnibus reliquis tacite quasi consentientibus. Sed obiciat non nemo, eiusmodi delictorum vitionem, vbi nullus est imperans, Deum ipsum sibi reseruasse. Tu, si placet, lege **T E S M A R V M** in notis ad Grotium Libro II. Cap. XX. §. 44. *Et punire posse Deum nulla non scelera, & puniuisse quoque immediate, clara per se res est; cum vero ad miraculosas eiusmodi poenas procedere non semper velit, vicarios suos substituit; in statu civili Imperantem, in statu naturali quem libet hominem.*

§. X.

\*) De Vita beata Cap. 30.

Qui singula, quibus homines instructi sunt, iura, a principio, quod nemini nocendum esse iubet, quodque a multis primum omnium iuris naturae praeceptorum dicitur, repetenda esse, sibi persuadent, ii profecto omne illud, quod homini erga hominem natura licitum est, in exiguum nimis angustumque concludunt. Quod si autem illud principium paullo latiori sumatur significatione, quae respectu ad totam naturam hominis moralem habito illi tribuenda, quam plurima iura, quae alias homini denegari solent, nec non ius puniendi, nullo negotio inde deriuari poterunt. Nam qui, quum oblata est occasio hominem inferendo dolore ab interitu liberandi, eam negligit, num is, quaeso, minus illi damnum intulisse censendus est, quam qui forte rem alicui abstulit, quae facile restitui potest? Itaque si is generatim alium laedit, in cuius libertate ratio posita est, quod alter perfectione quadam careat, etiam in hac iurium inuestigandorum via nihil reperiri poterit, quo doctrina nostra euertatur.

## §. XI.

Quamquam, quae hucusque in medium protulimus, ad probandam causam pro qua connitimur, sufficient, aliisque, quibus firmior efficiatur assensus, argumentis non indigeant, addi tamen & hoc potest, eos, qui iure puniendi hominem qua talem priuant, neque beneficia exhibendi ius hominibus tribuere posse; quando ytrumque ex eodem fonte hauriendum sit. Quid enim? qui homini dolores inferentem contra naturae ius facere clamant, iidemque beneficia in hominem collocantem laudibus extollunt, quam parum rationi consentanea afferant, considerent, quaeso, quum nihil intersit, puniendone alterum in eius salutem incumbam, an benefaciendo.

## §. XII.

## §. XII.

Non dubito, fore plerosque, qui hanc de iuris puniendi fonte doctrinam magno assensu quidem comprobent, ac illud simul moneant, non ex iure naturae, sed ex philosophia morali, argumenta desumpta sibi videri. Esse quidem confitendum, dicent fortasse, nihil esse praestantius homineque dignius studio aliorum felicitatem promouendi, neque negari posse, quemlibet hominem iure quodam conciliandi inter se homines & ad vsus communes adiungendi gaudere, ac imperfectum esse hoc ius, ita vt nonnisi causas mouentes, amicas admonitiones, & omnino talia adhibendo media, quae alteri, quem emendare velis, non displiceant, exerceri possit, nequaquam vero puniendo, hoc enim inter media cogencia referendum esse, quibus qui recte vtatur, iure perfecto praeditum esse debere. Hunc in modum ratiocinantes, falsis, quas animo informarunt, iuris perfecti & imperfecti notionibus duci mihi videntur. Nimirum pro certo habent, vniuersa hominum iura officiaque in duas classes describenda esse, quarum altera perfectis constet, altera imperfecta complectatur, illaque officiorum genera ita natura esse diuersa, vt actiones, quae ex vno genere sint, in aliud transformari nequeant. Ego quidem, recte cogitandi legibus istam officiorum separationem & oppositionem consentaneam esse, vt credam, induci me non patior. Persuasum mihi est, idem ius, quod imperfecti nomine venit, mutatis rebus perfecti naturam induere. Concedamus, vt hoc vtar, ius ab altero postulandi, vt auxilium nobis praestet, si in se consideretur, esse imperfectum; quid autem prohibet, quo minus, quum vita mea in periculo versatur, cogam aliquem, vt me in vita seruanda adiuuet? Itaque hoc tenendum est, si quis ad finem quemdam producendum obligatus sit, non illud spectandum esse, vtrum media, quae adhibentur, in se considerata iusta sint nec ne, sed an sine his mediis finis obtineri potuerit. Quod facile  
C ad

ad ius puniendi applicari potest. Non negamus quidem, ei, qui curam adhibet alterius felicitatem promouendi, per gradus eundem esse, neque ei ius esse, grauibus vtendi mediis, quum leniora ad finem sufficiunt. Quis vero probet, iuri ad finem eapropter non locum esse, quod eiusmodi mediis, quae non sunt cogentia, finis obtineri nequeat?

§. XIII.

Pertractatis sic satis pro scopo nobis proposito, quae de vero fonte, ex quo ius irrogandi poenas promanat, erant differenda, non parum profecimus ad explicandam celebrem de bello punitiuo inter gentes materiam, de cuius iustitia multa disputarunt Philosophi. Non quidem huius loci est, singula, quae ad hoc difficile argumentum spectant, excutere, sed eo solum animo quaedam hic depromere, & ad nostram materiam conferre liceat, vt vsus quaestionis pertractatae in iure gentium fiat perspicuus. Et primo quidem videndum est, quaenam huic termino adiungatur notio. WILLENBERG in SICILIMENTIS I. G. PRVD. Lib. II. Cap. I. quaest. 3. bellum poenale ita definit, quod sit *bellum offensiuum, quod tendit ad vindicandum aliquid in nos delictum commissum*. Sed cur in definitione hac requirit delictum in nos commissum? Ideo sine dubio, quia cum PVENDORFIO ius poenas exigendi illi soli tribuit, penes quem est summum imperium; de quo ipse Lib. II. Cap. XX. quaest. 14. suam exposuit sententiam. Quum vero delictum, ob quod suscipitur bellum, non tantum in nos, verum etiam in alios, immo in se ipsum committi potest, non dubitamus latius extendi posse istud belli punitiuo nomen. Non vnica solum huic termino, atque inuariata respondet notio, sed duae potissimum eius sunt significationes, quae determinatione subiecti oriuntur, in cuius commodum bellum suscipitur; aut enim commodum eius intenditur, qui arma contra alterum arripit, ad remouendas

das laesiones futuras, aut commodum eius, aduersus quem bellum suscipitur. Primum genus belli punitiui ita concipiendum est: Ponamus, alterum mihi intulisse damnum, competet mihi ius, praeter ea mala, quae ad damnum praestandum inferuntur, alia adhuc connectendi, vt conatus eius me in posterum laedendi infringatur; quum vero hocce ius non ex obligatione, qua alteri, sed qua mihi obstrictus sum, ortum trahat, hoc belli punitiui genus non ex principiis antea expositis, sed aliis diiudicandum est; quare hoc loco bellum poenale posteriori significatu sumendum est, vbi in commodum eius tendit, cum quo bellum geritur. Iam ex superioribus non difficile erit intelligere, hocce bellum iure naturae omnino licitum non tantum, sed etiam iustum esse; gens enim erga gentem eandem habet relationem, hinc eadem iura easdemque obligationes, quibus homini homo obstrictus est; quum iam, si ad posterius respicimus, ius mala inferendi in antecedentibus defensum sit, iustitia quoque belli punitiui inter gentes in apicem producta est. Hisce vero neutiquam contendimus, ad delicta alterius populi poenis coercenda, arma statim sumenda esse, sed caute antea diiudicandum, an illatio mali in vniuerso maiora efficiat mala, quam ipsa delicti consummatio, minus enim malum, si cum maiori comparetur, boni locum obtinet, quare **GRONOVIUS** in notis ad **Grotium** Lib. II. Cap. XX. §. 4. dicit: *non id tantum spectare debere populum, vt malum habeat noxius, sed potissimum, vt propter eum punitum minus sit malorum.* Qua ex causa etiam **GROTIUS** Lib. II. Cap. XX. §. 43. non aliter bella ad poenam exigendam esse suscipienda contendit, nisi scelera sint atrocissima & manifestissima, a quibus recta ratio, & natura hominum communis refugiat, atque abhorreat. Interim si contingat, vt obmodicam quoque causam suscipiatur bellum, quoniam plane corrigi nequit peccatum, in hoc tamen opera danda, vt quam mitissima sit victoria.

Pleniorem & solidiorem huius argumenti disquisitionem legas in illustris D A R I E S Observationibus iuris naturalis.

§. XIV.

Praeter haec, quae huc vsque differuimus, adducere pro nostra sententia licebit consensum H. GROTII in Iure belli ac pacis. Sunt quidem nonnulli in ea opinione, Grotium quoque principatum ad iuste puniendum requirere, si vero omnem de hac materia ambitum perlegamus, opposita elucebit sententia. Dixit quidem Lib. II. cap. XXIV. §. 2. *At quisquis alium punire vult, rectoris id est patris quodammodo personam suscipit.* Si haec verba ita interpreteris, ut iurisdictione aut ciuili, aut herili gaudeat ille, cui ius poenas exigendi tribuendum, causa mea lubenter cadere volo; sed quis non videt, Grotium id tantum velle, illum qui alterum puni emendationis causa, se gerere erga delinquentem, ut bonum patrem erga suos liberos, quo illud pertinet XENOPHONTIS ad milites: *Si quem ut prodessem verberaui, poenam debere me profiteor, qualem parentes filii & magistri discipulis.* Porro audiamus GROTIUM Lib. II. Cap. XX. §. 3 de hac re sic loquentem: *Sed huius iuris subiectum, id est cui ius debetur, per naturam ipsam determinatum non est. Dicitur enim ratio, maleficum posse puniri, non autem quis punire debeat, nisi quod satis indicat natura, conuenientissimum esse, ut id fiat ab eo, qui superior est.* Iam quaeritur, quid Grotius hoc loco voce superioris intelligat; Gronouius quidem hunc locum ita interpretatur, quod superior ille sit, qui potestatem habet in eum, qui peccauit, sed hunc non esse Grotii sensum, sumendum potius esse vocabulum sensu improprio, ex iis verbis, quae mox sequuntur intelligi potest: *non tamen, ut omnino hoc demonstret esse necessarium, nisi vox superioris eo sumatur sensu, ut is qui male egit eo ipso se quouis alio inferiorem censeatur fecisse, & quasi ex hominum censu detrusisse in censum bestiarum, quae homini subiacent.* En  
alium

alium plane sensum, non requirit enim ipsum imperium, sed potius eminentiam in meritis, hinc alio loco Lib. II. Cap. XX. §. 9. *Sic Plutarchus virum bonum ait a natura magistratum designari, & quidem perpetuum, & §. 7. Punitiorem, quae huic fini inseruit, natura cuius esse licitam, qui iudicio valeat, & eiusmodi generis aut paribus vitiis non teneatur.* Quod ultimum ideo adiecit, quia §. 3. hanc posuit regulam: *nocentem ab aequo nocente non puniendum esse*, quam tamen reiiciendam puto; non enim ideo male agit poenas sumens, quia delinquentem punit, sed quia ipse paribus vitiis tenetur; alias etiam magistratui vitioso non esset ius delicta puniendi, quod tamen maxime inconcinnum nemo facile affirmaverit.

§. XV.

Quum iam ex iis, quae modo diximus, appareat, Grotium de superiore hoc casu loquentem non superiorem imperio, sed meritis, seu iudicio intelligere; ex aliis locis in quibus Grotius de hac re luculentissimis loquutus est verbis, eius doctrina perspicitur. Et primo quidem prouoco ad Lib. II. Cap. XX. §. 8. *Ad hoc ergo fines, & intra aequi terminos, si dirigatur vindicatio etiam priuata, si ius nudum naturae, id est abductum a legibus diuinis humanisque, & ab his, quae non necessario rei accidunt, respicimus, non est illicita: siue fiat ab ipso qui laesus est, siue ab alio, quando hominem ab homine adiuari, naturae est consentaneum.* Deinde §. 7. *In verberibus vero & aliis, quae coactionis aliquid continent, discrimen inter personas, quibus id liceat aut non liceat non est factum a natura, sed a legibus, quae communem illam generis humani propinquitatem, vitandarum rixarum ergo, ad proximos affectus restrinxerunt.* Tandem §. 8. *Sed quia in rebus nostris & nostrorum affectu corrumpimur, ideo simul multae familiae in unum locum conuenerunt, iudices constituti, & his solis data potestas vindicandi laesos, adempta caeteris, quam natura*  
C 3
indul-

*indulserat, libertate.* Ex his omnibus rite inter se collatis manifestum est, Grotium statuere *primo*, si nudum ius naturae, seu homines in statu naturali consideremus, ius illud poenas sumendi penes quemlibet esse, *secundo*, ob communem hominum utilitatem id ius in proximos affectus, atque inprimis superiorem translatum esse, ideoque *tertio* veterem libertatem naturalem manere in iis locis, vbi iudicia sunt nulla. Quoad bellum punitivum in specie apertissima est Grotii sententia Lib. II. Cap. XX § 40. *Sciendum quoque est Reges, & qui par Regibus ius obtinent, ius habere poenas poscendi non tantum ob iniurias in se aut subditos suos commissas, sed & ob eas, quae ipsos peculiariter non tangunt, sed in quibusvis personis ius naturae aut gentium immaniter violentibus. Nam libertas humani societati per poenas consulendi, quae initio, ut diximus penes singulos fuerat, civitatibus ac iudiciis instituta penes summam potestatem resedit; non proprie qua aliis imperant, sed qua nemini parent.* Vnicum hic notandum, cur nimirum Grotius requirat, ut ius naturae aut gentium immaniter sit violatum; hoc ideo addidisse videtur, quia primo in peccatis minoris momenti mediis levioribus locus est, deinde in omni bello attendendum, ne illatio mali in vniuerso maiora efficiat mala, quam ipsa legis transgressio; tandem prudentiae esse, non ob quasvis leuissimas causas bellum suscipere, quia suspecta essent iniustitiae, quod nimirum hoc praetextu aliorum bona inuadi soleant. Tandem eodem §. *Et eatenus sententiam sequimur INNOCENTII, & aliorum, qui bello aiunt peti posse eos, qui in naturam delinquant: contra quam sentiunt VICTORIA, VASQVIVS, AZORIVS, MOLINA, alii, qui ad iustitiam belli requirere videntur, ut qui suscipiat, aut laesus sit in se aut republica sua, aut in eum qui bello impetitur, iurisdictionem habeat. Ponunt enim illi puniendi potestatem esse effectum proprium iurisdictionis civilis, cum nos eam sentiamus venire etiam ex iure naturali.*

CLA-



---

CLARISSIMO  
 ATQVE  
 DOCTISSIMO  
 IOANNI HENRICO BVLCH  
 S. P. D.  
 PRAESES.

---

**R**etta ad iurisprudentiam via contendunt, qui studiis humanitatis, & philosophiae praeceptis mentem acuunt & praeparant. neque cum iis faciunt, qui illotis quasi manibus Themidis sacra contrectare non verentur. Sunt de hac re multa sapienter dicta a veteribus, qui in nulla scientia aliquid praeclarum praestari posse sibi persuaserunt, nisi philosophiae veluti praesidio animus ad maiora nitens praemuniatur. Philosophos fuisse constat, qui olim populis leges sanxerunt, Draconem, Solonem & Lycurgum. Hinc praecclare Cicero, philosophia, inquit, vrbes peperit, dissipatos homines in societatem vitae conuocauit, inuentrix est legum, magistra morum & disciplinae. Rideant alii haec, quibus volupe est, leges ediscere, vt eas non aliter, quam index quidam, teneant. Atheniensium sophistis simillimi sunt, qui ciuilibus iurisprudentiae doctrinam superbius iactant, omnemque philosophiam, tamquam abstrusam & a vita communi remotissimam, aspernantur. Sibi solis ad extremum canant, qui ita sentiunt, & meliora edoctis concedant, vt optimarum literarum studiosos gustu imbuant veritatis & sapientiae, quae si oculis cerni possit, mirabiles excitaret  
 sui

sui amores. Itaque vehementer laetor, *Carissime, TE*, ad iurisprudentiae studium animum applicantem, primis vitae academicae annis, philosophorum praeceptis ingenium excoluisse, & omnibus studiis, quae iurisperitum ornent, animum cumulasse, non sequutum eas vias, quas brevitatis opinio ignavae commendat voluptati. Poteram, quia longo usu receptum est, multa in laudem eorum, qui in publicum prodeant, dici, *TVVM* ingenium, indefessum in indagandis scientiis studium, probitatem & humanitatem celebrare, nisi modestiae *TVAE* parcerem. De industriae *TVAE* specimine, quod publice defendes, ex animo *TIBI* gratulor. Fructus, quos ex laboribus *TUIS* capies, uberrimos, praemiaque amplissima, quae *TE* manent, ex certis indicibus augurari possum. Cura, ut me ames, meique memoriam subinde repetas. Ego omni studio, quo minus amore me *TVO* indignum existimes, nunquam prohibere non committar. Vale. Francofurti ad Viadrum, d. XV. Iunii  
MDCCLXXVI.

RESPON-

---

 R E S P O N D E N T I

 PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
 AMICORVM SVAVISSIMO

S. P. D.

O P P O N E N S

C. A. VIVIGENTZ A WINTERFELD

IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS EQVES IN GÜTER-  
BERG ET FALCKENHAGEN.

Minime verbis profusioribus opus esse arbitror in perorandis meritis laudibusque Tuis; loquatur de Te ipsum specimen ad quod defendendum Te iamnum accingis. Non illud solum sed omnes etiam quos Tibi diurna consuetudo iunxit, testes extant exceptionibus maiores, Te non invita Minerva, Musarum sacraria adiisse. Inter quos quoniam me etiam referre velis nullus dubito, cui ad augendas laureas Tuas opponentis functiones atque officium demandare volueris. De quo cum summas Tibi gratias debere confitear ita officium delatum adimplere studebo, ut omnibus quanti Te faciam adpareere possit. Habebis me Tibi semper devotissimum & et vicissim amicitiae particulam in me conferas maximopere rogo. Vale mihiq; faue. Dab. d.

 XII. Iunii MDCCLXXVI.
 

---

D

PRAE-

I T PRAENOBILISSIMO  
 ATQVE  
 DOCTISSIMO  
 RESPONDENTI  
 AMICO INTER PAUCOS CONIUNCTISSIMO  
 S. P. D.  
 OPPONENS  
 IOAN. GEORG. FRIED. SCHMIDT  
 MARCHICVS.

*Nihil unquam exoptatius mihi quid accidere potuisse, quam  
 ut te uberrimam studiorum messem iam percipere videam,  
 lubens sane confiteor. Sed fieri non potui, quin haec studio-  
 rum praemia tibi tribuerentur, cum ea semper industria  
 atque assiduitate scientiis incubuisti, ut non maximam solum  
 famam consequi, sed utilissimum etiam patriae membrum  
 evadere, sperare possis. Non possum non tibi equidem de  
 iam laudabili finito curriculo academico, ex intimo gratu-  
 lari pectore, tua autem carere consuetudine, unicum est, quod  
 doleo. Redear tamen amicorum dilectissime! felici fidere  
 in patriam, serues amicitiam quae incoepa a parvis cum ae-  
 tate accrevit simul, vales meque amare nunquam desi-  
 nas. Dabam Traiecti cis Viadr. d. IX. Iulii  
 c1010ccclxxvi.*

---

**R E S P O N D E N T I**
**PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO**
**AMICO SVO SVAVISSIMO**
**S. P. D.**
**OPPONENS.**
**AUGVSTVS FRIDERICVS RACHE**
**FRANCOFVRTENSIS**


---

*Singularis quae hucusque inter nos fuit amicitia, summa-  
que comitas ac benevolentia qua Tu me semper complexus es,  
me obstringit, nullam quae ad testificandum mutuum meum  
erga Te amorem se offert praetermittere occasionem. En igitur  
rationem quae me impulit Dissertationem Tuam aliquo  
modo impugnare, etsi satis certum habeo veritati nil opponi  
posse, hoc tamen officium amicitiae esse statui, eique satis fa-  
cere a me non alienum putavi. Elegisti Thema non parvi mo-  
menti de eoque talia monuisti, quae ostendunt perspectam Tibi  
satis esse hanc materiam. Ceterum de hoc specimine erudi-  
tionis Tuae magnopere Tibi gratulor, mihi vero ut et in po-  
sterum amicitiam Tuam conferres rogo, et a me omnia Tibi  
paratissima esse confidas velim. Vale. Scripsi in Aca-  
demia Viadrina die XX. Mensis Iunii.*

**MDCCLXXVI.**


---

**PRAE-**

VIRO  
PRAENOBILISSIMO

AC  
DOCTISSIMO

IOANNI HENRICO BVLCH

S. D. P.

SAMVEL CHRISTOPH SPERBERG

FRANCOFVRTENSIS

OPONENS.

**M**axima cum laetitia in me suscipio munus quod mihi honorifice demandare voluisti, opponentis, ac lubenter laudum Tuarum quas Tu Tibi Dissertatione Tua defendenda parabis, sum testis. Qua de re Tibi maximas ago gratias, pro amicitia, qua me semper es amplexus, per curriculum, quod peregisti, academicum. Seruet Te Summum Numen semper incolumem, felici redeas fidere in patriam mihiq; semper faue! Vale! Dabam Traiecti cis Viadrum die XXI. Iunii, MDCCLXXVI.



Frankfurt a. O., Diss., 1776-77

ULB Halle

007 520 611

3




W18









B.I.G.

Farbkarte #13

*Cr. G. num. 7.*  
1776, 5  
5

*X*

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
IVRIS PVNIENDI  
FONTE

\*\*\*\*\*

QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV

PRAESIDE

VIRO DOCTISSIMO

*P. 432,* SAMVELE BENIAMINO SITCOVIO

PHILOSOPHIAE <sup>MAGISTRO</sup> DOCTORE, REG. SOCIET. SCIENTIAR.  
FRANCOF. ADSESSORE

D. X<sup>o</sup> / IVLII MDCCCLXXVI.

H. L. Q. C.

PVBlicae ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBMITTIT

IOANNES HENRICVS BVLCH

MARCHIVS.



TRAIECTI CIS VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.



*J. Nettelbladt*

